

A Statuatur, & consortium illorum cupidè amplectitur. Nam pares paribus congaudent. Ob hanc rationem pius & fidus Rex vnde quaque sibi fideles homines conquirere voluit, vt secum habitarent. Posterior ratio ad id pertinet, vt subditis fideliter sit prospectum: quod per iniquos & perfidos fieri non potest. Dicit quidem pius Rex: *Is ministrabit mihi*: verùm, Regi vt Regi ministrare magis est populo regni, quàm personæ Regis seruire. Et hic erat animus Dauidis, qui non hoc agebat, vt sibi commode, sed vt populo fideliter seruiretur. Et hoc animo Christus erga suos est affectus: vnde & à Petro dilectione sui, Ioan. vlt. exigebat: & fidem in ministris suis cõmendaturum se dicit, Matth. 25. Et Apostolus 1. Cor. 4. dicit: Sic nos existimet homo, tanquam ministros Christi, ac dispensatores mysteriorum Dei. Hoc iam quæritur in dispensatoribus, vt fidelis quis inueniatur. Ergo fides necessaria est ad hoc, vt ritè ministretur. Etenim qui ministrat, non sua, sed domini sui bona dispensat: nec suo, sed domini sui commodo seruire debet. quòd certè non faciet, qui perfidus est & iniquus: faciet autem, qui domino suo fidelis est ex animo. Itaque quo quisque Princeps & magistratus animo sit erga subditos, ex qualitate seruorum patet, quibus rerum administrationem committunt. Deinde quàm fideles Christo sint hodie Pontifices, Episcopi, Prælati, &c. non est opus vt admoneam, sed vt deploremus omnes.

*Non morabitur in medio domus meæ, qui fraudulentè agit.* 1. Principiò notandum est, fraudulentos & mendaces cõtrarios esse fidelibus & integris: nec fieri posse, vt homo fidelis & integer fraudulentè agat & mentiatur. Alioqui frustrà voluisset pius Rex fideles sibi adiungere, & fraudulentos abijcere, si qui fidelis est, simul etiam fraudulentus esse posset. 2. Deinde & hoc notandum, quòd non dicit, *Non veniet in domum meam*: sed, *Non morabitur in medio domus meæ, qui fraudulentè agit*. nec dicit, *Non veniet in conspectum oculorum meorum*: sed, *Nò prosperabitur in oculis meis, qui mendacia loquitur*. Aliud est, venire in domum aliquam: aliud, in illo morari & prosperari. Facile accidit, vt homo fraudulentus & mendax veniat in domum aliquam, & conspectum viri probi & honesti: vt autem in illa moretur & prosperetur, non ita facile contingit.

*Manè perdam omnes impios in terra.* 1. Notabis hîc coniunctionem impiorum & פְּרָאִוִּיִּם: id est, operariorum iniquorum. Impietas cordis, radix est vnde studium iniquitatis nascitur. 2. Obserua hîc, quomodo & terra & ciuitas Dei impijs hominibus & operarijs iniquis sub regno Saulis fuerit corrupta & prophanata. Alioqui frustrà mentionem illorum hoc loco fecisset pius Rex. 3. Expende etiam, quid illis facere proponat *Perdam*, inquit, & *excindam eos*. Simile hortulani, cuius est hortum vrticis ac vepribus excisis repurgare. 4. Considera etiam, quo studio & zelo velit impios, & operarios iniquos perdere & excindere. *Manè* inquit *perdam*: id est, omnes. Absque vlla cunctatione, & præter personarum acceptionem. 5. Et illud expendendum est, quòd non dicit, *De ciuitate mea*: sed, *De ciuitate Domini*. Respectus hic est ad Dominum, cuius celo cunctos impios & reprobos excisioni destinat. Scopus hic debet esse Christiani magistratus, vt & ipse cogitet imperare se in ciuitate Domini, & zelo illius extirpandos esse impios. 6. Cogitemus etiam hoc, quòd ciuitatem, in qua sint operarij iniqui, vocat *ciuitatem Dei*. Potest ergo domus Dei, ciuitas Dei, Ecclesia Dei, populus Dei esse, etiam vbi sunt impij, & operarij iniqui: perinde atque Dominus regnum cœlorum agro comparat, in quo sunt zizania: Matth. 13.

OBSER.  
Vers. 7.

OBSER.  
Vers. ult.

PSALMVS CII.

Precatio ad afflicti, cum consternatus esset, & coram Domino effunderet orationem suam.

**D**vo considerantur in hac epigrapha. Vnum, à quo: alterum, de qua calamitate cõpositus sit hic Psalmus. Etenim nihil habet, nisi quòd hoc Psalmo precatio ad Dominum contineatur hominis haud leuiter ad afflicti, sed in ad afflictione consternati: nec obiter orantis: sed orationem suam in conspectum Dei effundentis. Quapropter factum est, vt hunc Psalmum alij aliò referant, non inter Iudæos modo, sed & inter Christianos. Verùm cum nihil hic certi tradi possit, quid attinet in re præsertim non ad eò necessaria, & à Spiritu sancto non expressa anxie sudare? Satis sit scire, contineri hoc Psalmo precationem animi ad afflicti & consternati, quam coram Domino anxie effuderit. Quid questus sit, quid petierit, quid deniq; consolationis in ad afflictione conceperit, ipsa Psalmi verba docebunt.

In epigrapha notabis, quantum sit discriminis inter pios & impios. Impij dum ad fliguntur, consternati quidem redduntur & ipsi, verùm ad Deum non orant. Pij verò, quantumuis animo consternentur in ad afflictionibus, de diuina tamen providentia, gratia & ope non desperant: ideoq; preces suas ex intimis visceribus in conspectum Dei profundunt.

Vbi verbum effundendi notandum est. Non simpliciter dicit, *Et coram Domino oraret: sed, Et coram Domino effunderet orationem suam*. Qui animo sunt consternato, & anxys cogitationibus adobruato ac obuoluto, preces suas ordine disponere nequeunt, sed inconditas effundunt: vbi nemo requirere debet, vt singula suis locis, & competenti modo proferantur. Iam oratur, iam querimonia intermiscetur, iam auditur fiducia & spes rerum meliorum, iam reditur ad precandum, &c. Etenim vt egestus ille cordis ad afflicti & consternati quæque profundit: sic inconditè egerunt omnia: vt planè ineptus sit, si quis in huiusmodi querulationum, gemituum, precationum ac deprecationum profusione, imò confusione, rhetoricum aliquem ordinem querat.

TI 2

ARGV